

fuerunt, qui relicta cura temporalium rerum munus suum proprium esse dixerunt. Verbo Dei, et orationi sine intermissione instare: *Nos* (inquiunt Act. VI) *orationi et Verbo Dei instantes erimus* (1). Ex quo intelligimus, omnium quidem fidelium esse privatim orare, et alios exhortari; sed proprium esse sacerdotum publice populo prædicare, et pro eodem populo assidue orare. Et sicut reprehendere non possunt adversarii, quod non omnes in Ecclesia Verbum Dei prædicent, sed soli Ministri ad hoc munus electi et ordinati: ita reprehendere non debent, quod ipsi soli publicas preces in Ecclesia fundant, et ex officio Dei laudibus vacent. Exempla ista Scripturarum secutam esse antiquam Ecclesiam, et munus Deum laudandi ac precandi publice, solis Clericis et Monachis demandasse, perspicuum est ex conciliis supra citatis, tum in hoc ipso capite, tum etiam in cap. 16.

Deinde, idem probatur argumento ducto a simili. Nam si Respublica temporalis habet milites suos, qui die noctuque excubant ad custodiam civitatis; cur enim non conveniat, ut Respubl. spiritualis, id est Ecclesia, habeat suos, qui similiter excubent contra spirituales nequitias, easque clamando exterreant? *Super muros tuos* (inquit Dominus Isaia cap. LXII) *Hierusalem, constitui custodes, tota die et nocte in perpetuum non tacebunt* (2). Quem locum S. Hieronymus de Pastoribus Ecclesiae exponit: « Qui custodes, inquit, nec diebus debent, nec noctibus tacere, sed semper Domini clementiam deprecari, ut grex illius, et muri Hierusalem custodiantur et vallentur ejus auxilio. Unde et ad eosdem custodes, atque doctores sermo dirigitur, o vos qui recordamini Domini, ejusque Clementiam die ac nocte precibus fatigatis, cavete ne unquam in ore vestro sileat oratio ».

Tertio: idem probatur alio argumento, ducto item a simili. Nam si ad cætera omnia munera certi homines destinantur, et non omnes ex officio docent, aut judicant, aut hanc, vel illam artem exercent; cur non par sit ad munus Deum laudandi, atque assidue precandi certos homines destinari? præsertim cum reliquis populis aliis rebus occupatus, neque tam frequenter, neque tanta intentione huic summo negotio vacare, possit, quam ejus dignitas et necessitas postulat.

(1) Act. VI, 4. — (2) Is. LXII, 6. — (3) Ps. CXVIII, 161.

Duae solent hoc loco quæstiones tractari. Una quo jure teneantur Clerici et Monachi ad horas canonicas persolvendas, divinone, an humano: ex qua quæstione pendet alia, utrum possit in hac re a summo Pontifice dispensari. Altera quæstio est, utrum qui ratione beneficii ad hoc officium obligantur, fructibus beneficiorum carere debeant, si divinum officium non persolvant.

Ad priorem breviter respondemus, jure divino teneri Clericos et Monachos ad vacandum precibus et laudibus Dei, magis quam cæteros; tamen formam illam precum et laudum, quæ nunc est in usu, non a jure divino sed ab Ecclesiæ determinatione pendere.

Quod vero Panormitanus insignis alioqui juris interpres, scribit in cap. 4. de celebrat. Miss. jure divino determinatum esse numerum septem horarum cum scriptum sit: *Septies in die laudem dixi tibi* (3). Ps. CXVIII. et ideo non posse in horarum numero per Ecclesiam dispensari, non est magni ponderis. Illud enim Scripturæ testimonium non præceptum, sed exemplum continet; et exemplum Regis, non Sacerdotis. Proinde si quid efficeret, ad horas canonicas Reges obligaret, non sacerdotes. Adde quod horæ canonicæ in Ecclesia aliquando solum quinque, aliquando sex, aliquando etiam octo fuisse videntur, ut supra notavimus. Vide Joan. de Turrecremata in can. Eleutherius, distin. 91. et Navarrum in Enchiridio, cap. 25. num. 102.

Ad posteriorem quæstionem respondemus, quicquid olim Doctores aliqui senserint, hoc tempore dubitari non posse, quin fructibus beneficiorum carere, et si eos perciperint restituere debeant, ut in eleemosynis pauperum, vel Ecclesiæ fabricam insumantur, qui divinum officium non persolvunt. Extat enim de hac re perspicuum decretum in Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 9. §. Statuimus. Et in constitutione Pii V. Pontificis, quam vide apud Navarrum cap. 25. num. 122. Atque hæc de horis canonicis, et oratione hoc loco sufficere possunt.

CONTROVERSIARUM

DE BONIS OPERIBUS IN PARTICULARI

LIBER SECUNDUS

DE JEJUNIO.

CAPUT PRIMUM.

De nomine, et varia acceptione jejunii.

De jejunio, quod est alterum ex bonis operibus, et orationi, atque eleemosynæ tamquam comes adjungitur, quinque capita tractanda suscepi. Primum enim disseram breviter de nomine et varia acceptione jejunii. Deinde de iis, quæ ad essentiam jejunii requiruntur. Tertio, de præcepto jejunii, tum divino, tum humano. Quarto, de fine, id est, de fructu et utilitate jejunii. Quinto, de temporibus jejuniorum, ut Quadragesima, Adventu, Vigiliis etc.

Igitur nomen jejunii abstinentiam a cibo significare videtur; Græce enim jejulare dicitur *νηστεύειν*, quasi *νη ἐσθίειν*, id est non edere. Unde est nomen latinum inedia. Accipitur autem vox jejunium quatuor modis, ex quibus oriuntur quatuor quasi genera jejunii, spirituale, morale, naturale et ecclesiasticum. Jejunium spirituale dicitur abstinentia a vitis, juxta illud Isaia LVIII. *Nonne hoc est magis jejunium quod elegi, dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes etc.* (1). « Jejunium magnum », inquit S. Augustinus tract. 17. in Joannem, « et generale est, abstinere ab iniquitatibus et illicitis voluptatibus sæculi ». Et lib. II. quæstionum Evangelicarum quæst. 18. « Scriptura », inquit, « docet generale jejunium non a con-

cupiscentia ciborum tantum, sed ab omni lætitia temporalium delectationum ». Cæterum hæc abstinentia metaphorice jejunium appellatur, sicut ipsa delectatio vitiosa cibus non est, nisi metaphorice. Neque de tali jejunio disputare aggredimur.

Jejunium morale, est parcimonia illa et temperantia cibi et potus, quam Philosophi quoque duce natura, et ratione approbaverunt, et quam eorum aliqui tenuerunt. De qua vide S. Hieronymum in lib. II. adversus Jovinianum. De hoc etiam jejunio nos hoc loco minime disputamus.

Jejunium naturale, vocant Theologi abstinentiam ab omni prorsus cibo, vel potu, quacumque ratione sumpto. Dicitur autem sumptus cibus vel potus, quando jam ad stomachum est transmissus. Si quis enim cibum aliquem degustatum continuo expueret, non solveret naturale jejunium. De hoc jejunio disseruimus in disputatione de Sacramento Eucharistiæ: non enim est præcepto ejusmodi jejunium, nisi propter communionem corporis Domini: « Placuit enim Spiritui sancto » (ut loquitur S. Augustinus in epist. 118.) « ut propter honorem tanti Sacramenti, prius in os Christiani Dominicum corpus intraret, quam cæteri cibi ».

Jejunium ecclesiasticum, de quo solo disputare nobis propositum est, definiri solet abstinentia cibi secundum Ecclesiæ regulam assumpta.

Dicitur jejunium ecclesiasticum « absti-

(1) Isai, LVIII, 6.

nentia cibi » : quoniam tria sunt, quæ per os trahuntur ad stomachum. Primum ea, quæ per se referuntur ad corpus alendum, et hi proprie dicuntur cibi, sive sumantur per modum cibi, ut panis et caro : sive per modum potus, ut mel, lac, jusculum, et similia.

Secundo ea, quæ per se referuntur non ad corpus alendum, sed ad juvandam cibi digestionem, vel ad restinguendam sitim, qualia sunt vinum, aqua, sicera etc., quorum sumptio proprie dicitur potus. Quamvis enim vinum etiam nutriat, tamen per se non ad nutriendum, sed ad alios effectus (ut diximus) ordinatur.

Tertio, quæ referuntur per se non ad corpus alendum, vel sitim extinguendam, sed ad morbos pellendos, vel evitandos ; atque hæc non cibi, vel potus, sed pharmaca nominantur : quamvis enim interdum medicamenta vel carnem nutriant, vel sitim sedent, tamen distinguuntur a cibo et potu, ratione proprii finis, qui est morbos impedire, vel tollere. Jejunium igitur ecclesiasticum dicitur abstinentia cibi, quoniam hoc jejunium, neque potus, neque medicamentorum, sed solius cibi abstinentiam per se requirit.

S. Leo serm. 8. de jejunio septimi mensis : « Licet, inquit, jejunium generali nomine ad omnem continentiam pertinere videatur, proprie tamen ad edendi diminutionem refertur, ut prosit nunc voluntate non sumere, quod ab initio contra vetitum nocuit usurpasse, ut sicut illic concupiscentia vulneri, ita hic abstinentia sit salutis ». Idem tradit S. Thomas in 2. 2. quæst. 147. art. 6. et Theologi cæteri in 4 Sententiarum dist. 15.

Addidimus in explicatione jejunii ecclesiastici, « secundum Ecclesiæ regulam assumpta » ; quibus verbis, non volumus significare, nullum esse jejunium ecclesiasticum, nisi ab Ecclesia indictum : scimus enim jejunium ecclesiasticum aliud esse voluntarium, et aliud necessitatis ratione voti, aliud ratione præcepti, sed indicare volumus, jejunium ecclesiasticum esse abstinentiam cibi, non qualemcumque, sed juxta regulam jejunantibus ab Ecclesia, vel consuetudine, vel lege præscriptam.

Tria vero sunt, quæ secundum regulam ecclesiasticam ad jejunium requiruntur. Primum, ut qui jejunat, semel tantum, in die cibumumat. Secundo, ut una illa refectio sit

(1) Jud. XX, 26.

cœna, non prandium. Tertio, ut habeatur ciborum delectus, et præsertim a carnibus se absteineat, qui ecclesiastico more jejunat.

CAPUT II.

Unicam in jejunio refectioem, eamque cœnam esse debere, non prandium.

Ex tribus illis, quæ ad jejunium ecclesiasticum exigi diximus, duo priora, hoc est, unica refectio, et hora tardior, a Kemnitio non negatur, sed solum tertium, id est, ciborum delectus. At Calvinus lib. 1v. Institut. cap. 12. omnia tria negare videtur, dicit enim jejunium tribus rebus perfici, tempore, qualitate, et quantitate, sed per tempus non intelligit certam, ac definitam horam, sed solum, ut jejunium non solvatur antequam res illa peracta sit, cujus gratia jejunium est susceptum, ut si jejunium suscipiatur propter solemnem precationem, non ante capiatur cibus, quam sollemnis precatio absolvatur. Per quantitatem non intelligit unicam refectioem, sed ut minus solito comedatur ; per qualitatem, non delectum alicujus cibi in specie, sed abstinentiam a lautitiis in genere. Nos igitur de duobus prioribus in hoc capite breviter, de tertio in sequenti capite fusius disseremus.

Unam igitur refectioem, eamque cœnam esse debere non prandium, cum jejunio datur opera, facile probari potest. Extant enim exempla Scripturarum, testimonia Patrum, et perpetua consuetudo fidelium. In Testamento veteri cum de jejuniiis agitur, horæ vespertinæ fit mentio, Judicum xx. *Jejunaverunt illa die usque ad vespem* (1). Idem habetur II Regum 1. et III, et alibi. Ex quo intelligimus apud Patres veteris Testamenti jejunium fuisse, semel tantum, idque ad vespem cibum capere, ex qua consuetudine fluxit superstitiosa observatio Judæorum, et Saracenorum, qui cum jejunant non ante cibum sumere audent, quam stellam conspexerint, ut de Judæis S. Hieronymus refert lib. II, in Jovinianum, et ante eum Tertullianus in libro contra Psychicos, extremo. De Saracenis perspicuum est ex cap. 2. Alcorani.

Porro Christiani veteres non ita superstiosæ stellas observabant, sed tamen jejunia non solvebant, nisi hora nona ab ortu solis,

vel etiam hora vespertina in Quadragesima. Et unicam illam refectioem, non prandium, sed cœnam nominabant. Tertullianus in lib. de jejunio contra Psychicos, scribit, Psychicos solitos jejunia protrahere usque ad horam nonam, suos autem, id est, Montanistas, usque ad vespem, ubi scribit quidem adversus Ecclesiam, et Catholicos vocat Psychicos, id est, animales, propterea quod non admitterent novam disciplinam Montani de tribus Quadragesimis, et jejunio ordinario usque ad vespem : tamen ex eo colligimus, antiquissimum esse usum Ecclesiæ jejunandi usque ad nonam.

S. Athanasius in libro de Virginitate loquens de hora solvendi jejunium : « Post communionem, inquit, horæ nonæ comede panem tuum, gratias agens Deo super mensam tuam ».

S. Basilius oratione prima de jejunio, de Quadragesima loquens : « Expectas, inquit, vespem, ut cibum capias etc. »

S. Epiphanius in fine librorum adversus hæreses : « Quarta, inquit, et pro Sabbato jejunium statutum est usque ad horam nonam ». Et ibidem dicit, sex diebus ante Pascha protrahendum esse jejunium usque ad vespem.

S. Ambrosius serm. 8. in Psalm. cxviii. « Indictum, inquit, est jejunium, cave ne negligas : et si te famæ quotidianum cogit ad prandium, ut intemperantia declinet jejunium, tamen cœlesti magis te servato convivio, non epulæ paratæ extorqueant, ut cœlestibus sis vacuus Sacramentis. Differ aliquantulum, non longe finis est diei ».

Sanctus Hieronymus in epistola ad Eustochium de custodia Virginitatis, dicit, apud monachos quosdam jejunium totius anni æquale esse, excepta Quadragesima, in qua sola conceditur districtius vivere. Dixerat autem paulo ante, monachos illos post horam nonam cibum sumere solitos fuisse. Ex quo intelligimus, horam nonam esse tempus solvendi jejunii ordinarii, in Quadragesima vero expectandam esse horam tardioem. Ibidem ait, senibus et parvulis sæpe fieri prandium ; significare volens, senes et parvulos sæpe excipi a lege jejunii. Et rursus ibidem : « A Pascha, inquit, usque ad Pentecostem cœnæ mutantur in prandia, quo et traditioni Ecclesiasticæ satisfiat, et ventrem cibo non onerent duplicato ». Ex quo loco apertissime colligitur, non satis esse ad jejunium, ut quis tantum semel capiat cibum nisi etiam tarda

hora illum capiat, ut ea refectio cœna non prandium dici possit. Siquidem monachi illi censebantur non jejunare a Pascha usque ad Pentecostem, quia prandebant, quamvis alioqui semel tantum, non his in die cibum sumerent.

Prudentius in hymno post jejunium, describens horam solvendi jejunium.

Nona (inquit), submissum rotat hora solem.
Partibus vix dum tribus evolutis,
Quarta devexo superest in axe
Portio lucis.
Nos brevis voti dape vindicata,
Solvimus festum, fruimurque mensis
Affatim plenis, quibus imbuatur
Prona voluptas.

S. Paulinus in epist. 6. ad Amandum : « Quotidiana, inquit, jejunia non refugit, et pauperem mensam vespertinus conviva non horruit ».

Sanctus Joannes Chrysostomus hom. 4. in Gen. de jejunio Quadragesimæ loquens, aperte indicat, horam solvendi jejunium in Quadragesima esse vespem : « Non existimemus, inquit, inediam usque ad vespem salutem nobis sufficere ». Et rursus homil. 6. « Quæ, inquit, utilitas jejunii, die, obsecro, si tota die nihil comedis, ludis autem et nugaris sæpe etiam pejeras, et blasphemias, et ita totum perdis diem. »

Sanctus Augustinus in epist. 86. ad Casulanum, disputans de jejunio Sabbati, passim accipit non prandere pro eo, quod est jejunare, et contra, non jejunare pro eo, quod est prandere. Et in epist. 118. ad Januarium, cap. 7. dicit, horam solvendi jejunium esse nonam.

Joannes Cassianus Collation. 21. cap. 23. scribit, horam capiendi cibi tempore jejunii esse nonam, tempore autem Quinquagesimæ, id est, a Pascha ad Pentecostem esse horam sextam.

Sanctus Benedictus in regula cap. 41 : « Quarta, inquit, et sexta feria jejunent usque ad nonam. » Et infra : « Ab initio Quadragesimæ usque ad Pascha ad vespem reficiant ».

S. Gregorius lib. III. Dialogorum, cap. 15. describens vitam Florentii monachi, dicit, eum cum non jejunabat, hora sexta ; cum jejunabat, hora nona cibum sumere consuevisse.

Sanctus Bernardus serm. 3. de Quadragesima : « Hactenus, inquit, usque ad nonam jejunavimus soli, nunc usque ad ve-

speram jejunabunt nobiscum universi reges et principes, clerus et populus, nobiles et ignobiles, simul in unum dives et pauper ».

Micrologus in lib. de Ecclesiasticis observationibus, cap. 49: « In hoc, inquit, quadragesimale jejunium ab aliis differt, quod in aliis post nonam, in hoc autem post vesperam reficere debemus. Nec juxta canones, quadragesimaliter jejunare censemur, si ante vesperam reficimur ». Canon autem quem ipse citat, videtur esse ille, quem ex Cabilonensi Concilio his verbis refert Gratianus de consecrat. distinct. 1. « Solent plures, qui se jejunare putant in Quadragesima, mox ut audierint signum ad horam nonam, manducare. Qui nullatenus jejunare credendi sunt, si ante manducaverint, quam vespertinum celebretur officium.

Denique apud veteres, quamvis de tempore Quadragesimæ nonnulla varietas esse videatur, an ad finem diei, an post horam nonam jejunium solvi possit; tamen inauditum est prorsus, ut ante horam nonam, quæ est tertia post meridiem jejunium quodcumque solvatur. Quemadmodum etiam nulla est apud veteres mentio binæ refectionis, cum de jejuniiis agitur.

Porro S. Thomas in 2. 2. quæst. 147. artic. 6 et 7. rationem reddidit, cur ad jejunium rite servandum una relectio, et hora nona ex Ecclesiæ lege, vel consuetudine requiratur. Unius enim refectionis illa est causa, quod jejunium ideo sit institutum, ut natura dometur, non ut destruat. Domatur autem et non destruitur, si assueta bis cibum capere, semel tantum sumat: destrueretur enim si nihil sumeret, et non donaretur si nihil amitteret. Horæ autem nonæ ratio est quoniam qui jejunant carnem suam quodammodo crucifigunt, et Christo patienti compatiuntur; Christus autem usque ad horam nonam in passione perdurans, illa demum hora a doloribus et laboribus requievit.

Sed opus erit breviter Kemnitio respondere, qui in 4. part. examinis Concilii Tridentini pag. 516 et 517. Catholicos reprehendit, quod non amplius horam nonam, aut vesperam expectent, cum temporibus juniorum cibum capiunt, quodque non semel, sed bis corpus reficiant, dum sumunt prandium sub meridiem, cœnulam sub vesperam.

Primum respondemus, usum jejunia solvendi circa meridiem, et cœnulam sumendi sub noctem ab Ecclesia non imperari, sed tolerari; neque deesse inter Catholicos, qui

unica omnino refectione contenti, nihil omnino cibi degustent nisi vel hora nona, vel sub vespera. Neque enim ignorant jejunium tanto esse perfectius, quanto diutius relectio sive cœna differtur.

Deinde, addimus determinationes ejusmodi rerum, quæ non habentur ex divino jure, posse per ecclesiasticam legem, vel consuetudinem pro locorum et temporum diversitate ita variari, ut quod uno loco, vel tempore non licet, alio loco, vel tempore liceat. Nam et apud veteres in quadragesima quædam provinciæ, hora nona solvebant jejunium, aliæ non nisi sub vesperam. In quibusdam locis Sabbato jejunabatur, in aliis prandebatur. Et multa hujusmodi refert S. Augustinus in epist. 118. Itaque tametsi nostro tempore severitas jejuniorum aliquantulum relaxata esse videatur, tamen non ideo reprehendi possunt populi christiani, qui morem in Ecclesia introductum, atque a Pastoribus vel probatum, vel certe permissum sequi volunt.

Addimus postremo, non carere probabili ratione mutationem illam horæ nonæ in horam sextam, quod attinet ad tempus solvendi jejunia. Nam quando veteres definiunt horam nonam pro solutione jejunii, tempus ordinariæ cibum sumendi solebat esse meridies. Satis enim esse putaverunt ad carnis afflictionem et castigationem, si ad spatium trium horarum, id est, ab hora sexta usque ad nonam relectio differretur. Nostro vero tempore magna pars hominum non hora sexta, sed tertia prandere solet: ex quo sequitur, ut si tempore jejunii cibum sumant hora sexta, hoc est, ad meridiem, tribus horis serius ad reficiendam corpus accedant, quam ordinariæ soleant, ac per hoc ab antiqua consuetudine non recedant.

Fuisse autem apud veteres in more positum, ut ad meridiem prandium sumerent multis testimoniis ostendi potest. Ut omittam quod scribit Festus, prandium dictum esse etiam merendam, quod meridie fieret, et Plutarchus lib. viii. de problematibus convivialibus problemate sexto, dicit, prandium nomen habere ab hora meridiana, ut sit prandium quasi parendion; Genes. xliii. Joseph cum fratribus ad meridiem prandet. Lib. ii. Esdræ cap. viii. usque ad meridiem populus audit relectionem legis, inde dimittitur ad capiendum cibum. Daniel. xiii. de hora meridiana quæ fiebantur judicia, dicunt senes, eamus domum, quia hora prandii est. Joan. iv. hora

dicatur fuisse quasi sexta cum discipuli cibos paraverunt, ut dominus prandere posset. Actor. ii. B. Petrus, ut probaret, Apostolos non fuisse ebrios post acceptum Spiritum sanctum, ut turbæ existimabant, satis esse putavit, si diceret, horam tertiam tunc fuisse. Actorum x. idem Apostolus hora sexta sibi prandium parari jubet. Joannes Cassianus Collat. 21. cap. 23. festis diebus, quibus non jejunatur, hora sexta cibum sumendum esse dicit. Quod idem statuit S. Benedictus in regula cap. 41. S. etiam Gregorius lib. iii. Dialog. cap. 15. tempus cibi capiendi, cum non jejunatur, horam sextam, cum jejunatur, horam nonam fuisse scribit. Denique S. Thom. in 2. 2. quæst. 147. art. 7. ideo dicit, horam nonam aptissimam esse solvendo jejunio, quoniam tribus horis distat a meridie, quod est tempus prandii, cum non jejunatur. Sed quamvis hæc ita sint, et probabilem causam suæ consuetudinis habeant, qui jejunium solvunt hora sexta, tamen fatendum est, melius illos facere, qui more veteri non ante horam nonam, et in Quadragesima non ante vesperam cibum capiunt.

CAPUT III.

De ciborum delectu referuntur sententiæ hæreticorum.

De tertio, quod ad jejunium pertinere diximus, hoc est, de ciborum delectu, duæ contrariæ hæreses Ecclesiam vexarunt, et ex parte etiam vexant. Una fuit hæresis, cibos quosdam natura sua esse immundos, ac per hoc illicitos atque prohibitos. Et alii quidem omnium animantium carnes immundas esse dicebant, ut Ebionitæ apud Epiphanium hæ. 30. Encratitæ apud Augustinum her. 25. Eustathiani apud Socratem lib. ii. cap. 33. Priscillianistæ apud Augustinum hæresi 70. Apostolici apud Bernardum serm. 66. in Cantica. Alii non solum carnes, sed etiam vinum immundum dixerunt, atque omnino vitandum, ut Manichæi apud Augustinum hæ. 46. quam hæresim, quod attinet ad vinum, secutus est Mahomethus in Alcorano cap. 3. qui rursus cap. 12. prohibet quoque suis sanguinem, et suffocatum, et a lupo tactum.

Adversus hanc hæresim pugnant apertis-

sima Scripturæ testimonia: ac præsertim illud Apostoli Pauli, I ad Timoth. iv. *Spiritus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris et doctrinis dæmoniorum, in hypocrisis loquentium mendacium, et cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, abstinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, et iis qui cognoverunt veritatem, quia omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur* (1). Pugnat etiam adversus eandem hæresim exemplum Domini et Apostolorum, qui tum alias, tum potissimum in ultima cœna Agnum comederunt, et vinum biberunt.

Altera igitur hæresis priori contraria fuit aliorum, qui nullos omnino cibos, neque in perpetuum, neque ad tempus, neque omnibus, neque quibusdam, neque absolute, neque certa de causa interdicti patiuntur. Ad hanc hæreticorum classem pertinent in primis Nicolaitæ et Valentiniani, qui cibos etiam idolis immolatos audacter edebant, ut Irenæus refert lib. i. cap. 1. et 27. Ad eandem classem pertinet Jovinianus, qui teste S. Hieronymo in ii. lib. adversus eundem Jovinianum, et S. Augustino in lib. de hæres. cap. 82. docebat, jejunia, et a cibis quibusdam abstinentiam nihil prodesse.

Ad eandem pertinent omnes hujus temporis hæretici, et eorum præcursor Erasmus. Nam in epistola ad Episcopum Basileensem Erasmus: « Paulatim, inquit, irrepsit consuetudo, quæ diem Veneris pisculentum nobis reddidit. Deinde ubi hoc successit, adjuncta est et Sabbati dies: nunc etiam Mercurii periclitatur. Ob idque genus observatiunculas, videmus homines affligi, et denique mori, sibi que Christianos videri, cum sint Judæi ». Hæc ille, qui librum etiam integrum scripsit de interdicto esu carniæ; quem (ut verum fatear) numquam vidi. Porro ciborum delectum, qui in Ecclesia catholica certis diebus ab omnibus, et omnibus diebus a quibusdam religiose servatur, passim reprehendunt Lutherus in lib. de libertate christiana, Philippus in Confessione Augustana, et Apologia art. 15. et 26. Joan. Brentius in Confessione Wirtembergensi cap. de Jejunio. Centuriatores lib. ii. cent. 1. cap. 4. col. 395. Joan. Calvinus lib. iv. Institut. cap. 12. Martinus Kemnitius in 4. part. examinis Concilii

(1) I Tim. IV, 4.